ECLOGA
Nuptiis auspicatissimis

Nobilissimi atq; Consultissimi

DN. JOHANNIS
von Baumgarten/
SECRETARII THORUN.

Cum

Virgine sexus sui virtutibus supra modum ornatissima

ANNA JUSTINA
natalibus KNIPPELIA,

D. 21. Septembr. ANNO M DC XCIV.

solemniter initis,

consecrata

à

M. Martino Böhm/ *Gymn. P. P. & Visit.*

THORUNII,

Imprimebat JOHANNES BALTHASAR BRESLER.

MAne sub auroram, vitrea cum terra pruina
spargitur, Eoum cœpitq; rubescere cœlum,
se recipit medio de monte sonorus Apollo
cum cithara, fidibus, plectris, testudine longa,
& si quid nostræ blanditur gratius auri
hoc secum defert, teneræ mandatq; Thaliæ:
En Hymenæus adest decorandus carmine nostro!
Nec mora, decerpunt vivorum germina florum
sertaq; contexunt Nymphæ, decorantq; capillos,
quæq; suos, harum sed formosissima virgo
collectam vario BAUMGARTI *flore corollam*
imponit capiti, gratisq; amplectitur ulnis
Sponsum. Pax, inquit, connubia nostra sequetur,
felices aderunt luces, & tempora nobis
exspectata diu. Viden' ut sol nubila pellat,
& nostras puro tædas splendore serenet?
Fœcundæ vireant vites in collibus altis,
lætaq; frondentes expandant brachia sylvæ!
O decus Aonidum! stirpis generosa propago!
Te mea vota petunt solum: Tu dignus habere
me Sponsam: nullum nisi Te mea verba salutant.
Ipsa Tibi Cytheræa suos indulget honores
sacraq; diffundit medicati munera cesti.
Non repetam quanto studio, quantoq; labore
Aonios lustrasse choros Te florida juvit
ætas, & variis ornavit dotibus: ipsa
Te pietas sacro decoravit suavis amore.
Sic virtus immota malis, amor æmulus æqui,
nobilis & doctrina suum superaddit honorem.
Ingenio polles fœcundo & divite vena:
Tot dotes animi, tot culti pectoris artes,
& varium fandi morem Tibi Musa paravit.
Hartknochii *genius si carmina scribere posset,*

apta-

aptatis quam non verbis tua pingeret acta.
Ille quidem tali decessit tempore terris,
quo decus immortale sibi famamq; pararat
æternam studijs; sed laus tua permanet usque.
Mellifluo claras promebas ore loquelas,
Hyblæo potiora thymo, folijsq; Sibyllæ
sancta magis fuerant doctarum dicta sororum.
In patria postquam jecisti Gymnade veræ
& pietatis opus, doctæ & fundamina vitæ,
spem non fallebas Matris Patrisq; diserti,
nec Præceptorum frustrabas candida vota,
ut faciunt alii, quos vexat vana libido
mundi, vel stultæ torquet vesania fraudis.
E patria postquam peregrinas ivit in oras
Laus tua, non poterat concludi limite parvo.
Ecce vagata fuit per Gallos, perq; Britannos,
per Batavos, Italos, Germanos atq; Polonos,
ut Patriæ ferret præclaræ commoda mille.
Post magni fuerat sententia sancta Senatus,
ut Thorunensis sis Secretarius urbis.
Hoc equidem virtutis iter fuit usq; molestum,
sed tandem felix & multis dotibus auctum.
Sic primum magnæ virtutis imago videtur,
difficilis, lætum facilis tamen indicat orbem,
cultoresq; sui digno confirmat honore,
explicat ingentes arcus, pictasq; triumphis
& longis moles titulis, sibi fervidus instat
exercet mentes & corda oblita malorum
surgens arte labor. Cumulantur commoda: quando
in thalamum castum JUSTINA reducitur alma,
quam pietas morumq; fides commendat & ornat.
Aspice quantus honos frontis? quæ gratia blandis
interfusa genis? quam mitis flamma decoris
fulguret ex oculis? gratus decor ipse pudicis

diffun-

diffundit radios oculis, tingitq; venustam
murice nativo faciem, velut alba per hortos
purpureo Titan distinguit poma colore.
Digna quidem virtus, quam vel trans æquoris æstus
classe Paris rapiat, vel conjurata reposcat
Græcia. Virgineos sic sese flamma per artus
acrius accendens tenerum pascebat amorem.
Si series generis longusq; propaginis ordo
quæritur, e veteri sanguis deducitur ortu,
jamq; suas vires in Consulis exserit aura
Knippelii, *medijs pariter caput inserit astris*
& magis insinuat sese complexibus arctis.
O par dilectum sancto sociabile nexu!
Vivite felices, & tanta sorte beati
crescite in invidiam fati, differte senectam
longius & duros perduret vita per annos.
Summe Pater tu corda liges consensibus unis,
fac in amore pio perstent, & fœdere in uno,
qualis flamma calens animos conjunxit in unum.
Dumq; novas ædes intratis poplite dextro,
(ædes quas olim coluit pars optima nostræ
urbis, Wachschlager, *sed quem mors dira peremit*
atq; suæ nobis servavit munia famæ)
intret vobiscum summi benedictio cœli,
& vigilet circum devotos gratia dia.
Vos viridi dulcem captate sub arbore somnum!
Hæc tenui & vili chartacea munera cultu
accipite unanimes, vestrisq; reponite tectis,
posteritas videat, monstretq; nepotibus olim.
Sic cecinit Clio, gaudet pia turba Sororum,
spirantes auræ resonant arbustaq; plaudunt,
& Sponsi Sponsæq; ferunt ad sidera nomen.